



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xxv [i.e. ii]. Essentiæ rerum non sunt ab æterno, nec secundùm esse  
aliquod diminutum, nequè secundùm esse reale.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

vel prædicata, re vel ratione distincta, illa entitas, vel illud prædicatum dicitur essentia, quod est primum & præcipuum, ex quo cætera velut secundaria oriuntur realiter, vel juxta nostrum concipiendi modum, pro ut est essentia physica vel metaphysica, quarum una ab altera tantum ratione distinguitur. Ita *animal rationale* est essentia hominis, quia neutrum illorum radicatur in altero tanquam priore, sed illa sunt, unde oriuntur cætera V. G. *risibile*.

II. Essentiæ rerum creatarum non sunt ab æterno, neque secundum aliquod esse existentia diminutum, neque secundum aliquod esse essentia reale in se, cui dein in tempore adveniat existentia tanquam ultima ejus actualitas. Quidquid enim à Deo non est factum, vel est ipse Deus, vel nihil, sed essentiæ rerum non sunt ab æterno factæ à Deo, nec sunt ipse Deus, ergo. Sunt tamen ab æterno secundum esse objectivum & ideale, quatenus ab omni æternitate fuerunt in cognitione & ideis divinis, in quibus ideis seu cognitione Dei practica non fuere entia fictitia, utpote à Deo non factibilia. Item dici possunt esse ab æterno

no quò ad identitatem & prædicatorum essentialium objectivam necessariam connexionem, quæ in eo consistit, quòd Deus pro nullo instante æternitatis potuerit creaturam producere, cui non convenirent sua prædicata essentialia, vel quòd ex suppositione, quòd pro aliquo tempore sit, fuerit, vel erit V. G. homo, necessariò intelligatur esse, vel fuisse, vel futurus animal rationale.

III. Possibilitas rei intrinseca est res ipsa, quatenus talis est, ut non contineat prædicata contradictoria se invicem destruentia; quælibet enim res possibilis per differentiam aliquam intrinsecam debet constitui & distinguui à re impossibili, quia si talis differentia intrinseca non assignetur, non erit ratio, cur omnipotentia Dei potius denominet lapidem possibilem, quàm chimeram; sed hæc differentia consistit in eo, quòd, si responatur in rerum natura, non involvat contradictoria, quæ involvit res impossibilis, estquè hæc differentia rei intrinseca, quia quælibet res per se ipsam & independententer ab omnipotentia Dei est talis, ut, si existat, non involvat  
con-